



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. I. An, & qualis possessio requirarur ad præscriptionem?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

## §. I.

*An, & qualis possessio requiratur ad præscriptionem?*

**Q**uod ad omnem præscriptionem necessarium requiratur possessio, aut si incorporalia præscribantur, quasi possessio, constat ex *regula juris 3. in 6. & ex L. 2 §. ff. de Vsup.* Et quidem quod non sufficiat sola naturalis, sufficiat tamen civilis, sive sola sit in præscribente, sive conjuncta sit cum naturali, ex variis Juribus habetur; & ex eâ ratione, quod ad præscriptionem ea requiratur, & sufficiat possessio, vi cujus transferri potest dominium, aut quasi dominium, sed sola naturalis possessio non est sufficiens, ad transferendum dominium, aliâs etiam depositarius rem depositam præscribere posset, & possent duo simul eandem rem præscribere, casu quo unus eam naturaliter tantum, alter civiliter tantum eam possideret, quod est absurdum concedere, ergo sola naturalis non sufficit; sufficit autem sola civilis, per quam dominia transferri possunt.

## §. II.

*An Laici non possint præscribere decimas ob defectum possessionis?*

**R**espondetur affirmative, prout expressè deciditur in *c. Causam 7. h. t.* (cum sint juris hujus possidendi incapaces) ita ut jus percipiendi decimas, neque tempore immemoriali præscribere possint, quamvis optimâ fide illud haberint, & fama communis, erronea tamen fuerit, quod legitima concessio facta ab Ecclesiastica persona intervenerit; cum error hic nec titulum verum, nec veram juridicam possessionem illis tri-

buerit, immemoriali tempore tum in omni tituli præsumptionem inducente, & capacitas possidendi in præscribente eadem. Quod si tamen cum temporis immemoriali possessione, fama communis concurreret, de legitime à Prælati Ecclesie ante Lateranense, vel à Pontifice obsequio jure decimandi, esset quidem hic titulus Laicus tam in foro interno, quam externi securus à decimarum, aut juris decimarum restitutione, quia ipsa hæc antiquitas legitime concessionis olim factæ præscriptionem inducit, si tamen postea constaret per instrumentum v.g. antiquum modò repertum, jus decimarum per illegitimam & invalidam alienationem à majores illius pervenisse, obligaretur hinc talis, non obstante ullâ antiquitate possessione præsumptâ ad restitutionem.

Intelligi tamen hoc debet de jure decimandi spirituali, sive quod fundatur in spiritualibus administrationibus & institutionibus: quod si enim decimæ per illegitimam auctoritatem à titulo seu spirituali separatæ sunt, possunt uti possideri, & præscribi à Laicis, cum ut sint Laicales: à nemine tamen habet hæc decimarum à jure spirituali separatæ fieri potest, nisi à solo summo Pontifice, penes quem etiam hujus materiam plenissima potestas est; cujus etiam est per privilegium Laicis jus hoc decimarum concedere. Plura tamen de hoc infra in *Tit. de Decimis.*

## §. III.

*An ad omnem præscriptionem & omni tempore necessaria sit bona fides ad præscribendum?*

**Q**uidquid sit de jure Civili Cælestes